tur, nimirum habitacula eorum, qui in societate viventes, omnia habebant communia. Hinc patet in quonam Coenobitae ab Anachoretis discreparint, quum hi in solitudine viventes, singuli, quisque sibi, prospiciebant; at ex adverso Coenobitarum eadem prorsus semper fuit vivendi ratio, sed bona communia. Stylitae ita dicti a singulari vivendi ratione super columna. Simeon cognominatus Stylites fere medio saeculo quinto primus inter ordines monasticos hanc vivendi rationem invexit. Evagrius lib. 1. cap. 13. *Iisdem temporibus*, inquit, *floruit atque inclaruit Symeon vir sanctae, atque percelebris memoriae. Hic primus stationem super columna instituit.* Quae sane haud multos habuit sectatores, quum nonnisi pauci admodum in historia occurrant, qui severiorem hanc vitae methodum amplexati sint. Leone Magno imperante, Constantinopoli surrexit novum genus Monachorum, qui dicti sunt ακοιμητοι, insomnes, semper vigilantes, qui perpetuas diu noctuque per vices divisis officiis Deo laudes canebant. Alii caelo tantum pro tecto usi, per deserta vagabantur, incertis sedibus, herbarum radicibus pro omni pabulo utentes, quos Βοσκος, idest silvestres, vocabant.

III. Monachi ex primaeva institutione nihil amplius quam laici erant, et ad vitam solitariam obligati, nonnisi in eremis, vel desertis locis, et poenitentiae exercitiis addicti, nullius nisi suae ipsorum animae curam gerebant. At vero Clericos in villis, et civitatibus versari oportebat, ut ibi propter Fidelium institutionem Ecclesiasticas functiones obire possent. Jam vero rationes non deerant, quibus Monachos ad sacros ordines promovere tum permissum esset, tum aliquando expediret. 1.° Ubi Monasterium longe ab Episcopali, vel Parochiali Ecclesia distaret. Hinc ex Cassiano Monasterium Scythiae in Ægypti desertis duos habuit Presbyteros, Pafnutium, et Danielem, quem ipse Pafnutius adhuc vivens sibi successorem elegit. 2.° Monasteria, quae nimis ampla essent, licet oppidana, suos habebant Presbyteros. Hinc Eutyches hereticus, non modo Archimandrita, sed Presbyter etiam sui

Monasterii CPoli erat: vide Liberatum, Breviarium cap. XI. 3.° Episcopi aliquando inter Monachos quosdam seligebant, quos in Ecclesiae ministerium adsciscerent. Monasteria insuper propter bene institutam in pietate, ac doctrina educationem, veluti Ecclesiae ministrorum seminaria haberi coeperunt.

IV. Quamvis tamen vita monastica homines a civitate, et locorum publicorum celebritate excludebat, qui ex proprio instituto ad solitudinem fuerunt olim adstricti, non deerant extraordinariae quaedam caussae, quibus in civitates se conferre, atque in publicum conspectum prodire sibi haud nefas esse censebant. Ac primo quidem si Fidei negotium in discrimen venire videretur. Qua de re Magnus Antonius, teste Hieronymo, urgente Sancto Athanasio, in urbem Alexandriae se contulit, ut Fidei testimonium daret, Arianamque haeresim suo conspectu, dictis, morum sanctitate, ac miraculorum splendore confutaret. Secundo, quum magna aestuaret adversus Catholicos persecutio. Profecto de Aphraate, ac Juliano duobus Monachis Syris scribit Theodoretus *lib. IV. cap. 27.*, eos relictis in solitudine suis cellulis, Antiochiam venisse ad sustentandam doctrinam Catholicam. Et sane quum Antiochiae domicilium fixissent, tum Fidem Catholicam publice profitebantur, tum fideles in Fide nutantes aeque publicis ac privatis congressibus confirmabant. Qua de re magno erant Ecclesiae adjumento. Tandem Monachi aliquando ab desertis abibant, et ad urbes, atque adeo ad Imperatorum aulas se conferebant, ut pro reis ad mortem damnatis intercederent.

Caput LVI.

Monachismi propagatio in oriente per S. Basilium, in occidente per S. Benedictum.

I. Primus in Oriente S. Basilius ex Monacho Episcopus Caesariensis, Monachos ex eremo transtulit in suam dioecesim, utilitatis Ecclesiae causa, et sua in dioecesi va-

ria monasteria instituit, et regulam eis dedit, quam in hunc diem colunt Monachi S. Basilii, qui non modo in Oriente, sed etiam in Occidente sunt propagati. Hujus generis est monasterium Cryptae Ferratae in agro Tusculano. In Occidente ante S. Benedictum singula monasteria habebant suam regulam et instituta, et Abbatis manu et propria disciplina, potius quam lege regebantur. S. Benedictus prius in loco, cui nomen Subiacus, quadragesimo ab urbe Roma milliario, in spelunca solitariam vitam egit per triennium, cum unico socio, nomine Romano: progressu temporis, additis fratribus Mauro et Placido, Cassinum se transtulit, ubi in editissimo monte monasterium posuit, caput Ordinis futurum. Leo Ostiensis, *lib. 1. cap. I.*; Paulus Warenfridus, *de gestis Longobardorum*; et alii plurimi. S. Benedictus Religionis propagandae causa Maurum in Galliam, Placidum in Siciliam misit. Inde Benedictinus Ordo longe lateque loca occupavit.

II. Multis saeculis Monachi SS. Basilii et Benedicti soli orbem implerunt; verum progressu temporis varii Ordines surrexerunt, qui diverso schemate regulam S. Benedicti sequuti sunt. Anno Jesu Christi 1012. a Sancto Romualdo instituti sunt Camaldulenses Eremitae sub regula Sancti Benedicti. Anno Christi 1080. Stephanus de Mureto in monte de Mureto monasterium quoque condidit sub nomine Sancti Benedicti, quod post ejus decessum traslatum est in locum Grandismontis, a quo nomen acceperunt Grandismontenses Monachi. Anno 1084 initium cepere Carthusiani, fundatore S. Brunone Canonico Coloniensi, a quo extructum est monasterium in eremo in finibus Delphinatus iuxta Gratianopolim, quod est caput totius Ordinis Carthusiani. Anno Christi 1098. Robertus Molismensis Abbas in Burgundia, Cisterciense monasterium in dioecesi Cabillonensi fundavit sub regula S. Benedicti. Hujus initia illustravit S. Bernardus, postea Claravallensis Abbas et fundator. In regno quoque Neapolitano binae aliae emerserunt Congregationes Benedictinae; scilicet Montis Virginis S. Gulielmi Eremitae Vercellensis an. 1124., et Caelestinorum S. Petri de Morrhone, Æsernini, qui ad solium Pontificium elatus, Caelestini V. nomen adsumpsit. Saeculo XIII., quo Ecclesia haereticorum commentis maxime divexabatur, novi quidam Ordines in Ecclesia excitari coeperunt, qui moribus, atque doctrina haereticorum impudentiae obviam irent. Hi autem Ordines *Fratrum Mendicantium* nomen ex eo tulerunt, quod victum, aliaque ad vitam necessaria, neque redditibus, neque operibus manuum comparent, sed ostiatim a fidelibus emendicarent. Horum primi, et celeberrimi sunt Ordines Praedicatorum, Minorum, Augustinianorum, et Carmelitarum.

Caput LVII.

De spiritualibus veterum Monachorum exercitationibus.

I. Ac primo veteribus Monachis persuasum erat, perpetuae sese addictos esse poenitentiae exercitationibus. Hac de ratione insula Canopum prope Alexandriam, posteaquam Monachi Tabennenses eo delati sedem ibi fixerunt, insula Metanoae, idest insula Poenitentiae vocata est. Tum extraordinaria erant ipsorum jejunia. Monachi Ægypti quotidie jejunabant ad horam usque nonam, exceptis Sabbato, die Dominica, et a die Paschae ad Pentecostem. Insuper jejunia frequentibus cultus divini exercitationibus jungebant; namque maximam diei, noctisque partem precationibus dabant. Psalmodiae et orationis veteres apud Monachos comes erat lectio sacrorum librorum, quasi adjecta oratio. S. Joannes Chrysostomus in primam ad Timotheum Homilia decimaquarta ait: *Illi contra matutinis precibus hymnisque peractis, ad sanctarum Scripturarum studium se convertunt.* Praeter lectionem Sacrorum Librorum, apud Monachos in usu fuit collatio de rebus asceticis, cui semper praeerat unus e senioribus. In monasteriis Ægypti et aliis, advenientibus hospitibus, post refectionem cum his habebatur collatio de rebus spiritualibus. Vide Cassianum, *Collatione*

18. capite II. Psalmodiam, orationem et lectionem apud Monachos sequebatur manuum opus. Et ipsum opus manuum erat quasi sequela et supplementum orationis: operantes enim psalmos canebant. Varia fuere opera Monachorum: alii terram aratro colebant, arbores conserebant, consitas irrigabant, alii sportas nectebant, alii flabella. Operi manuum certum erat tempus praefixum. Apud Ægyptios Patres id tempus erat usque ad horam lucernariam, idest, usque ad vespertinum officium. Ab opere manuum recurrebatur ad officium divinum, tanta obedientia, ut ad monitum pulsantis opus incoeptum omitteretur.

II. Psalmodiae, orationi, lectioni et operi manuum adjungebatur docendi officium. Monasteria in Oriente fuere scholae, quae pueris saecularibus patuere. In monasteriis Benedictini Ordinis scholae passim institutae, in quibus pueri erudiebantur (1). In monasteriis Angliae inprimis claruere scholae, quibus praefuit primum Venerabilis Beda, et post eum Alcuinus, qui cum in Galliam emigrasset, in Turonensi monasterio docendi munere magna cum laude functus est. Celebris fuit Schola Fuldensis, Rabano praeceptore, cui adjunctus Haimo, postea Halberstadensis Episcopus, aliique. Ex Fuldensi Academia propagata est Hirsaugiensi, de qua fuse Trithemius in historia Hirsaugiensis. In Prumiense Monasterio litterarum cultus maxime viguit, Marcwardo Abbate: cujus discipuli fuere Ado, Viennensis postea Archiepiscopus, Wandalbertus Diaconus, et alii, quibus accedit Regino, celebris Abbas Prumiensis. In Casinense Monasterio, ubi Paulo Diacono praeceptore, non minus claruerunt artes liberales, quam virtutis ac Religionis disciplina. Huic accedit Ticinense Sancti Augustini Coenobium, in quo etiam academiam aperuit Scottus. De aliis Ordinis Benedictini scholis hic agere supersedeo, tum quia id exigit instituti mei brevitas, tum quia de earum

(1) Vide opus nostrum cui titulus: *Dei vantaggi apportati dagli Ecclesiastici alle scienze, lettere ed arti*. T. I. cap. XII.

origine jam praeclare egit Joannes Launojus in libro de *Scholis celebrioribus per Occidentem instauratis*. Inde magnum accessit Benedictino Ordini incrementum, nec non Ecclesiae decus et adjumentum: dum plerique accedentes ad monasterium, studiorum causa dulcedine vitae allecti, ab eo recedere non sustinerent, vel ibi semel literis et disciplina imbuti, ad Ecclesiasticas vel saeculares dignitates meliores facti promoverentur. In monasteriis autem Benedictinis fuere duae diversae scholae, interiores et exteriores: cujus sectionis auctorem habemus Ekkeardum Decanum Sancti Galli apud Helvetios. Interiores erant Monachorum: exteriores saecularium puerorum, quas canonicas vocitat ipse Ekkeardus *de casibus Monasterii Sancti Galli cap. I.* Nec modo Benedictini, sed et Cistercienses, Canonici Regulares et Saeculares suas habuere scholas. Scholae Sanctae Genovefae Parisiensis praefuit Petrus Abelardus. De Schola Ecclesiae Castellionis meminere Scriptores vitae Divi Bernardi libro I. capite 3.

Caput LVIII.

De Monachorum hospitalitate

I. Utilitatis Monachorum non mediocre argumentum est, singularis humanitas, qua semper usi sunt in suscipiendis hospitibus, peregrinis et pauperibus: quae certe tanta fuit, ut monasteria potius xenodochia et hospitalia, quam Monachorum habitacula viderentur. Veteribus Monachis inprimis curae fuit susceptio hospitum, peregrinorum et pauperum. Hieronymus in *Apologia adversus Rufinum*: *Nobis in monasterio hospitalitas cordi est, omnesque ad nos venientes laeta humanitatis fronte suscipimus.* Advenientibus hospitibus occurrebatur cum honore et reverentia, ac si Jesus Christus in carne susciperetur. In *Regula S. Benedicti capite 53.* legitur: *Omnes supervenientes hospites tamquam Christus suscipiantur, quia ipse dicturus est: Hospes fui, et suscepistis me.*

II. Advenientes hospites recipiebantur oratione praemissa, et postea deducebantur in coenaculum, quod erat destinatum susceptioni hospitum, quod erat seorsim a septis monasterii, haud procul a vestibulo monasterii. In singulis monasteriis, aedibus hospitum et peregrinorum praepositus erat unus e senioribus, ut nos docet Cassianus, et Regula S. Benedicti, qui magister hospitum dictus est. Susceptorum hospitum ante refectionem pedes lavabantur, ex more Ægyptiorum Patrum. Nec modo in gratiam supervenientium hospitum solvebatur jejunium, sed etiam in refectione hospitum cibus coctus addebatur. Vide Cassianum, *Collatione secunda capite 21.*

Caput LIX.

De votis Paupertatis, Obedientiae, et Castitatis.

I. Jam vero istiusmodi voluntariae Paupertatis exempla in antiquis historiae monumentis obvia sunt. Profecto Hilarion, auctoribus Hieronymo *Vit. Hilarionis cap. III*, et Sozomeno *lib. III. cap. 14. Domum reversus, quum parentes mortuos invenisset, fratribus suis ac pauperibus bona sua distribuit.* Monachi Ægyptii, generatim tantae, tamque rigidae paupertatis studiosi erant, ut ne ipsorum quidem monasteria agros vel statos reditus haberent; nec ullus monachus praeter id, quod ad quotidianum alimentum necessarium esset, apud se quidquam posset reservare. Idcirco si quam donationem accipiebant, non in suum ipsorum, sed pauperum usum eam convertebant. Verum illud heic negandum non est, non deesse veterum monachorum exempla, qui facultates suas in potestate sua retinebant, ut earumdem annuos proventus vel pauperibus distribuerent, vel in alios usus pios erogarent.

II. Votum Obedientiae non in eo tantummodo positum erat, ut Abbati, aliisque Superioribus in iis, quae ad monasterii regimen spectabant, prompto animo parerent; at praeterea perfectam sui ipsius abnegationem

postulabat, omnigenamque a Superioris voluntate dependentiam. *Prima apud eos confoederatio erat, obedire majoribus et quidquid jussissent facere.* Hieronymus *Epistola* XXII. ad Eustochium cap. XV. Et Severus Sulpitius *Dialog. I. cap. II. Praecipua ibi virtus et prima est Obedientia.* Qua de re Cassianus Magistro Novitiorum in id potissimum incumbendum tradit, ut doceat juniores primitus suas evincere voluntates. Porro tria potissimum in monastica obedientia requirit S. Benedictus: *Regulae Benedict. cap. V.; nimirum ut sine mora, non tepide, et hilariter monachi suis pareant superioribus.*

III. Votum Castitatis non modo severam ab omni carnali impuritate abstinentiam Monachis indicit, quae Christianorum communis est; verum et Monachos a nuptiis arcet. Profecto si qua unquam virtus in Monachis elucere debet, ea profecto est puritas. Quorsum enim perpetuae poenitentiae exercitationes, frequentia jejunia, perennis rerum caelestium meditatio, assiduae precationes, nisi puritatem, qua homines magis Angelis accedunt, integram in anima custodiant? Qua de re Concilium Chalcedonense can. XVI. excommunicationis censuram in eos Monachos infligit, qui nuptialia jura contrahere ausint. Eadem poena sancita quoque occurrit a Canonibus Poenitentialibus S. Basilii can. LX., in Concilii Trullani Canone XLIV.

Caput LX.

De Abbatibus, aliisque Monachorum Praepositis.

I. Ut Monachi sui Instituti munera facilius, ac rectius obire possent, plerumque monasteria diversas in partes divisa, iisdemque Antistites constituti erant. Praefectus seu Superior Congregationis Monasticae sive Monasterii dictus fuit Abbas ab officio, quod singulari ratione inter Monachos debet esse paternum. Abbas enim lingua hebraica, et syriaca idem sonat, quod latine pater. Abbatum summa erat potestas. Ad ipsos enim spectabat: Pri-

mo, Divinorum officiorum administratio. Secundo, Disciplinae directio. Tertio, in Monachos ab officii sui praescripto deflectentes animadversio, ac poenis tum spiritualibus, tum corporalibus coërcitio. Poenae spirituales erant censurae Ecclesiasticae, Eucharistiae praesertim, et sacrorum omnium interdictio. De ejusmodi poena haud semel loquitur Cassianus *Instit. lib. II. cap. 16.* Saeculo sexto Archimandritae nomine appellabatur is, qui cunctis alicujus Provinciae Abbatibus praeerat.

II. Qui olim apud Monachos Praepositi dicebantur, posterioribus saeculis Priores dicti fuere. Praepositus enim antiquitus dicebatur in Regulis Monachorum, qui curam Monasterii gerebat post Abbatem, atque ita accipitur in Regula S. Benedicti cap. 65. Decani officium erat, idem fere quod Prioris Claustralis, disciplinam regularem curare. Non modo spiritualia, sed etiam temporalia curabat Decanus monasterii. Institutum Decanorum apud Monachos manavit ex usu scilicet Monasteriorum Ægypti, de quo Hieronymus ad Eustochium: *Divisi sunt per decurias atque centurias, ita ut novem hominibus decimus praesit.* Eorum officium erat, Monachos docere, fluctuantes consolari, et firmare, cellas singulorum lustrare. Eorumdem officium erat, pensum operis manuum cuique tribuere, perfectum recipere, et tradere oeconomo.

Caput LXI.

De Monasteriis.

I. Monachi dum singuli in eremo habitarunt, eorum mansiones dictae sunt cellae vel cellulae. Progressu temporis eorum habitacula vocata sunt monasteria, a solitudine, quae nomen dedit et Monachis. Eadem Coenobia vulgo appellata sunt, a societate communis vitae. Fuit et aliud genus monasteriorum, quibus a Graecis inditum nomen *Laura*. Laura hoc distabant a Monasteriis, quod Monasteria erant constructa continentibus aedificiis;

Laura erant cellulae Monachorum sejunctae et sparsae per eremum, sub uno Superiore positae. Religiosorum habitacula Claustra nominata reperiuntur. Eucherius Lugdunensis in quadam ad Monachos Homilia: *Id Professio nostra in Claustris a nobis requirit, ut contra proprias concupiscentias repugnemus.*

II. Monastica habitatio dicta quoque fuit Ασκητηριον, quasi dicas Exercitatorium. Monasteria primum in eremo assurgere coeperunt sola pietate et studio Fundatorum, sine Episcoporum arbitrio. Ubi vero Monachi ex eremo migrarunt, et passim in civitatibus et vicis constructa sunt monasteria, consensu et auctoritate Episcoporum aedificata fuerunt. Quantus fuerit zelus Episcoporum in construendis et ordinandis monasteriis, satis praedicant antiquiora et insigniora monasteria Orbis Christiani, quae ipsos patronos et fundatores colunt.

Caput LXII.

De variis Monachorum vestibus.

I. Monachorum vestis non una sed varia fuit pro diversitate Instituti et regionum. Ægyptiorum Patrum propriae vestes fuere *lebitus* sive *colubium*, et *cuculla* et *melotes*. Principem locum inter monastica indumenta illa vestis obtinet, quam sanctus Benedictus, et post eum Pontificum Decretales, *Cucullam* vocant. Usus ejus apud priscos Monachos etiam ante sanctum Benedictum fuit; quare Sozomenus *Lib. 3. hist. cap. 13.* de iisdem agens: *Caput*, inquit, *integumento, quod Cucullam appellare solent, operiebant.* Et sanctus Ephraem Cuculli meminit, eoque indutus legitur, prout etiam monachi sancti Pachomii, teste Palladio, *Historia Lausiaca cap. 13.* Agit quoque Cassianus de *Cucullis* Ægyptiorum, et S. Dorotheus. Erat autem *Cuculla* tegumentum capitis ad humeros usque demissum (1). *Colobium* vel *lebitus*, quod idem est, erat

(1) In Benedictino Ordine non modo capitis, sed totius etiam corporis Cuculla indumentum est.

linea vestis sine manicis vel abscissis manicis. Cassianus *de Institutione Coenobitarum libro primo capite quinto* — *Colobiis*, inquit, *quoque lineis induti, quae vix ad cubitorum ima pertingunt, nudas de reliquo circumferunt manus*. Frequens mentio est in vitis Patrum *Melotes*, sive *Melotae*: quod vero indumenti genus sit, exponit Cassianus, *lib. I. cap. 6.* dicens: *Ultimus habitus eorum* (Ægyptiorum monachorum) *pellis est caprina, quae Melotes, vel Pera appellatur*. S. Hieronymus in Praefatione ad regulam S. Pachomii n. 4. *Caprinam pelliculam, quam melotem vocant*. Ruffinus *de vitis Patrum cap. 9. Melotem quae est caprina pellis*. Etiam sanctum Benedictum melote usum refert S. Gregorius, *libro secundo Dialogorum, capite septimo*.

II. *Maforte* erat palliolum monachorum caput et humeros tegens, aliud a cuculla: μαφόριον vocat S. Basilius vel alius quisquis auctor est de poenis in monachos delinquentes, capite septimo. Praeter colobium, cucullam et melotem seu pelliceam, Ægyptii monachi habebant aliud vestis genus, quod Graeci vocant ἀναλάβον, superhumerale. Eius forma erat in modum crucis super humeros. Apud Graecos et Orientales pallium erat propria vestis monachorum. Monachi utriusque sexus apud Graecos nigro pallio induti passim memorantur. Manuelem Comnenum in extremis nigra veste, quae erat monastica, indutum refert Nicetas in ejus vita libro septimo, Gregorius Nazianzenus *oratione decimaquarta: Idem Pallium*, inquit, *fuscum vel nigrum habentium vitae sanctitas signatur*. Ne laborantibus quotidie monachis impedimento esset largior Cuculla, aliud vestimenti genus ei S. Benedictus suffecit, *Scapulare* nimirum; quae vestis ita dicta est, quod a capite ad scapulas dependet. Graeci autem *Scapulare Analabum* vocant, ut videre est in eorum Euchologio, et apud Dorotheum Abbatem.

Caput LXIII.

De Monialibus.

I. Inter ordines illos, quibus Catholica coalescit Ecclesia, enumeranda etiam merito videtur Virginum classis, quas magni fecit ab initio Ecclesia, cum tertio saeculo velut *illustrior portio gregis* Christi habitae sint. Has enim prioribus tribus saeculis ante monasticae vitae exortum extitisse, testantur Tertullianus, *lib. I. ad uxorem*; et Cyprianus, *de habitu Virginum*. Instituta saeculo quarto monastica vita, eam non tantum viri, sed et mulieres statim arripuerunt. Prima Sanctimonialium mater et auctor perhibetur Syncletica virgo Alexandrina, S. Antonio coaeva, quae Virginum coenobia in solitudinibus Ægypti extruxit. Id colligitur ex auctore vitae S. Syncleticae, apud Cotelerium, *Monumenta Ecclesiae Graecae tom. I. pag. 202.* quem S. Athanasium fuisse Nicephorus Callistus *lib. VIII. cap. 40.*; Hermant, *in vita S. Athanasii tom. 2. pag. 638.*; Tillemontius, *Memoires d'histoire ecclesiastique tom. 8. pag. 711.*; Natalis Alexander, *in saeculum quartum cap. 6. art. 8. 12.*; aliique permulti eruditi tuentur. Ab Ægyptio monacharum institutum in universum Orientem, et mox in Occidentem migravit. In Oriente monasteria Virginum aevo suo extitisse, prodit Basilius, *de Institutione Monachorum*. In Occidente quarto saeculo Sanctimonialium monasteria jam obtinuisse testantur illius aevi scriptores; Romae nimirum teste Hieronymo, *Epistola 26.* ad Principiam; Mediolani juxta Divum Ambrosium, in libro *de Exhortatione ad Virginem lapsam*. In Hispania saeculo quarto Monialium conventus fuisse, patet ex Siricio Papa, *epistola ad Himerium Tarraconensem*. In Gallia Cassianus Virginum monasterium Massiliae posuit. Monasteria Monialium scholae celeberrimae erant, in quibus puellae, quae ibi ponebantur, optimam sanctamque educationem nanciscebantur; propterea S. Hieronymus Laetae inculcabat, ut filiam quam

Christo sponsam obtulerat, enutriri curaret in monasterio, ubi virtutes discere posset, ubi vitia ingressum non haberent, nulloque afflaretur pestifero veneno.

II. Ne autem Sanctimoniales periculum subeant mundanae conversationis, intra monasterii septa perpetuo se continere debent. Earum Clausuram omnium temporum canones inculcarunt, ut ex instituto probat Joannes Baptista Thiers in opere cui titulus: *Traitè de la Cloture, des Religieuses.* Jam inde a saeculo quarto, quo Virginum coenobia prodierunt, Monialibus egressus e monasterio non nisi iusta de causa permissus est. S. Basilius de *Institutione Monachorum,* Monialibus interdixit egredi extra monasterium, praeterquam ubi statis temporibus necessitas postulasset. Caesarius Arelatensis, aliique regularum monasticarum conditores statuerunt, Moniales ad mortem usque in monasterio permanere. Sed non eadem de hac re ubique viguit disciplina, nec generali Ecclesiae regula clausura Monialibus omnibus indicta est. Primus saeculo XIII. Bonifacius VIII. generali lege perpetuam Monialibus omnibus professis Clausuram indixit, ita ut monasterio nunquam exire possint, *nisi forte tanto et tali morbo earum aliquam laborare constaret, quod non posset cum aliis absque gravi periculo commorari.*

Caput LXIV.

De Benedictione et Consecratione Monialium

I. Virginum Dei, sive in (1) domo paterna, sive in communi domicilio habitarent, sive monasticam professionem amplecterentur, duplex fuit consecratio. Una per habitus immutationem virginitatisque propositum Deo sponte promissae; altera per pontificalem manus et veli impositionem solemnemque Episcoporum benedictionem. Utriusque consecrationis meminit Innocentius Papa I. in *epistola ad Victricium* Rothomagensem Episcopum.

(1) Martene, *De antiquis Ecclesiae ritibus* Lib. II. Cap. VI.

Ad primam annos aetatis sexdecim aut septemdecim requirit S. Basilius in *epistola ad Amphilochium cap. 18.* Neque tamen haec aetas semper expectabatur. Nam Beata Asella, teste Hieronymo in *epistola ad Marcellam, post duodecimum aetatis annum virginitatis propositum amplexa est:* tuncque unius cellulae clausa angustiis, latitudine paradisi fruebatur. At vero secunda consecratio non nisi vigesimo quinto aetatis anno peragebatur. Audi Concilium Carthaginense III. c. 4.: *Placuit ut ante viginti quinque annos aetatis Diaconi non ordinentur, nec Virgines consecrentur.* Hoc decretum quod citat Egbertus Eboracensis Archiepiscopus in *Excerptis cap. 91.* renovavit Concilium Francofordiense anni 794. c. 46. et Turonense II. c. 28. Plerique nihilominus Canones vetant, ne consecratio praedicta Virginum quadragesimum annum praecedat.

II. Quod ergo spectat originem consecrandi Virgines, sunt qui eam repetunt a temporibus Apostolorum. Munus itaque Episcoporum, nec vero Presbyterorum, et multo minus Abbatissarum esse, ut solemniter Virgines consecrarent, praeter Canones, multa nobis Sancti Patres, ac alii Scriptores Ecclesiastici suppeditant, quibus ea de re plenissime edoceri quis potest. Sanctus Ambrosius in libro primo quem de Virginibus scripsit, ingenue fatetur, de variis partibus Virgines suo tempore Mediolanum confluere consuevisse, ut ab ipso solemniter velarentur: *De Placentino,* inquit, *sacrandae Virgines veniunt, de Bononiensi veniunt, de Mauritania veniunt, ut hic velentur.* Atque hac in re praesertim Virginum consecratio a viduarum benedictione differebat, quod ista a Presbyteris, illa a solis Episcopis perageretur. Prima consecratio quolibet suscipiebatur die; at vero secunda, excepto uno mortis periculo, non nisi solemnioribus festis. Tres dumtaxat designat Gelasius Papa *epistola 9.* ad Episcopos Lucaniae sic scribens: *Devotis quoque Deo Virginibus, nisi in Epiphaniarum die, aut in Albis Paschalibus, aut in Apostolorum natalitiis sacrum maxime velamen imponant Episcopi.* Progressu temporis, praescriptis temporibus adjectos fuisse dies Dominicos, et alicubi ceteras Christi Domini fe-